

stra plus sanguinem habet, dextra plus spiritum : unde et in
 dextro brachio pulsum inspicimus. Praecordia sunt loca cor- 119
 dis vicina quibus sensus percipitur ; et dicta praecordia eo quod
 ibi sit principium cordis et cogitationis. Pulsus vocatus, quod 120
 5 palpitet ; cuius indicio aut infirmitatem intellegimus aut salu-
 tem. Huius duplex est motus ; aut simplex, aut conpositus.
 Simplex, qui ex uno saltu constat ; conpositus, qui ex pluribus
 motibus inordinatus et inaequalis existit. Qui motus certa
 habent spatia ; dactylicum percussum, quamdiu sine vitio sunt ;
 10 si quando vero citatiores sunt, ut *δορκαδάζοντες*, aut leniores, ut
μυρμίζοντες, mortis signa sunt. Venae dictae, eo quod viae 121
 sint natantiſ sanguinis, atque rivi per corpus omne divisi, qui-
 bus universa membra inrigantur. Sanguis ex Graeca etymologia 122
 nomen duxit, quod vegetetur et sustentetur et vivat. Sanguis
 15 autem est dum in corpore est, effusus vero cruor dicitur. Nam
 cruor vocatus ab eo quod effusus decurrit, vel ab eo quod cur-
 rendo corruat. Alii cruorem interpretantur sanguinem corru-
 ptum qui emittitur. Alii aiunt vocatum sanguinem quod suavis
 sit. Sanguis autem non est integer, nisi in iuvenibus. Nam 123
 20 dicunt physici minui sanguinem per aetatem ; unde et in
 senibus tremor est. Proprie autem sanguis animae possessio
 est : inde genas lacerare mulieres in luctu solent ; inde et pur-
 pureae vestes et flores purpurei mortuis praebentur. Pulmo ex 124
 Graeco trahit vocabulum. Graeci enim pulmonem *πλεύμων* vo-
 25 cant, eo quod cordis flabellum sit, in quo *πνεῦμα*, id est spiritus
 inest, per quod et agitantur et moventur ; unde et pulmones
 vocati sunt. Nam Graece *πνεῦμα* spiritus dicitur, qui flando et
 exagitando aerem amittit et recipit ; a quo moventur pulmones et
 palpitant et aperiendo se ut flatum capiant, stringendo, ut eiciant.

| | | |
|---|---|--------------------------------------|
| 3 vicinia <i>K</i> | 4 voc. <i>bis</i> <i>K</i> : vocatur <i>C</i> | 5 sal.] sanitatem <i>C</i> |
| 6 modus <i>K</i> ¹ <i>B</i> | aut simp. aut comp. <i>om.</i> <i>TB</i> ¹ | 7 constat] est <i>B</i> ¹ |
| comp. est qui <i>C</i> | 9 habet <i>T</i> | 11 signas sunt <i>K</i> |
| quia <i>C</i> ¹ | 12 sunt <i>C</i> | om. corp. <i>B</i> |
| 14 quia <i>C</i> | om. corp. <i>B</i> | divise <i>T</i> |
| sustinetur <i>C</i> : sustentur <i>B</i> ¹ | 15 au. dum <i>K</i> : est au. dum <i>C</i> | corp. eff. |
| <i>C</i> | 16 vocatur <i>C</i> | effesus dec. <i>T</i> |
| s. est <i>C</i> : quia suaue sit <i>K</i> | 20 undet in <i>K</i> : unde in <i>BT</i> | 17 al. autem cru. <i>C</i> |
| en. <i>K</i> | 26 agitentur <i>B</i> | 18 quia |
| 29 pa. ad aperiendum <i>K</i> | 27 inflando <i>T</i> | 24 pulm. |
| | capiendo str. <i>C</i> | 28 admittit <i>TBC</i> |